



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Joachimus Pater B. M. V. 20. Martii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

quo Christus sub panis orbe, quo non lateret, perspiceret. Sed illa oculis carenti jucundissima spectacula fuere: videre non semel festo Pentecostes die sacrum Pneuma supra caput suum descendere. Denique cum precabunda beatissimum illum passionem JESVM, illum illum solem potuit intuiri, an non oculos habuisse jam probos putemus? Enim verò si oculis tunc non vidiit, at certè charius aliquid oculis vidit. Ex tom. 14. Bzovii.

Præoccupatum secularibus desideriis animum delectatio sancta declinat, nec misceri poterunt vera vanis, eterna caducis, spiritualia corporalibus, summa imis; ut pariter sapius quæ sursum sunt, & quæ super terram. S.Bern.hom.5.de Ascens.

S. JOACHIMUS PATER B. M. V.

20. Martii.

JOACHIMVS è regiâ Davidis stirpe assēm suum trifariam divisit. Partem templo sacram, alteram egenis & peregrinis communem, ultimam sibi & familiæ voluit reliquam, testamento, quod vel cælum probavit. Nam cum in ipsam senectam usque sine hærede vixisset (probro id ætatis ac loci tanto, ut cum sacrificio suo etiam repulsam ab arâ tulerit) precibus suis apud Numen hoc questus, candidissimum nuntium certæ prolis accepit. Et verò spem ipse etiam rei eventus longè maximè superavit. Nata enim MARIA, & cum MARIA renatus orbis est. Et pensavit profectò partus tam serus, quidquid morarum traxerat. Potuit ignosci tempori tam magna parturienti: potuit JOACHIMVS hâc unâ filiâ beatus ridere populos alias filiorum. Proinde officium patris facturus, cælo filiam, cui debebat, vix trimulâ dicat, & templo jam

G 4

tum

tum ancillam sacrat, nullam cum hoc sacrificio re-
pulsam ab arâ extimescens. Ipse certus de Serva-
tore snum Abrahæ petit, inde paucis pôst annis
triumphantem CHRISTVM ovans sequitur in cœl-
arces. Ibi ille olim sterilis senex omnium paren-
tum gloriam nunc exæquat. Summa ejus est, ge-
nuisse talem filiam, quæ talem illi nepotem pepe-
rit. Ex S. Io. Damasc. l. 4. de Fide Orth. & orat. de Nat.
Mariæ.

*Si primò non exaudiris, ab oratione non deficias; im-
precibus & clamori insistas; vult Deus rogari, vult co-
gi, vult quadam importunitate vinci. Ideo tibi dicit,
Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.
S. Greg. in psalm. 6. Pœnit.*

S. CUTHERBERTUS EP. 20. Martii.

Exultabat puer CUTHERBERTVS insolentius in-
ter æquales suos, victor cùm omnibus aliis in
Iudis, tum in luctâ præcipue. Intereà puero Pæda-
gogum submisit cœlum trium annorū pusionem,
qui gravibus verbis castigavit leviculum, jussitque
mores assumere, qui infulam, quâ olim insignien-
dus esset, exornarent. Et audiit CUTHERBERTVS
Deum in infante loquentem, & jam tum abire ad
partes religiosorum hominum cogitavit, quod ut
posset facilius, ægrotantis genu Medicus Ange-
lus, equo candido insignis, curavit. Homines
deinde ut pascere olim sciret, pascere pecora insti-
tuit, & vigil inter preces in illustri nocte Aidanum
Episcopum cœlo vidit subire. Posthæc inter Reli-
giosos cùm hospitum curam haberet, inter hos
aliquando Angelum numeravit. Nocturnas Vene-
ris faces sæpius rigentibus aquis mersus collo te-
nus extinxit. Episcopus Lindisfarnensis, altero
statim